

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 13. Decembris.

M. GERMANO PREAUX

DOCTORE MEDICO, Præſide.

An ex capillis certum de temperamento judicium.

I.

UT temperamentorum varietatem admittere nihil in arte medendi certum magis, ſic illorum diſcrimina definitoſque gradus diſtinguere arduum nihil magis magiſque vel recte medentibus difficile: Ex elementorum mixtione & unione, temperamenti ratio exurgit, at ea quàm multiplex! in uno homine tot temperamentorum diverſitates conſtituendæ, quot partes numerandæ; alia eſt temperies cordis, pulmonis, jecinoris, lienis, renum, carnium; alia oſſis, nervi, arteriæ, venæ, membranæ, cutis, glandularum; ex quibus licet nonnullæ certa in qualitate conveniant, aliquo tamen gradu, qui definiri nequeat, diſſentire veriſſimum: Jam ſi ex ea ſingulari partium omnium temperie exurgat univerſalis neceſſe eſt, quanta ex ea miſcelæ

ratione varietas. Cujus modum ἰδιοσυγκρασίαν dictum, ſi attingere poſſet medendi artifex, morborum eventus certo prænuntians, remedia non minus certò admovere poſſet.

II.

QUI in partium temperamentis ſtabilitur ordo ut oſtentationis quam neceſſitatis plus habet, ſic nec medico utilis eſt; quid enim ad medicum confert hæc quæſtio? ſunt ne venæ aut membranæ oſſibus frigidiores? utilius multo eſt temperamentum aliud agnoſcere intemperatum, aliud temperatum; quod eſt intemperatum in infinitas excurrit differentias, quamvis octo nominibus tantum inſigniri ſoleant: ſcilicet ex paucis numero litteris non magis infinita exurgunt vocabula, quam ex illis differentiis innumeri temperamentorum modi: temperatum unius eſt tantum generis: temperamentum exacte temperatum quis inveniet? mentis eſt figmentum nec poteſt conſiſtere: quod ad juſtitiam dicitur, optabile eſt velut ſalutare, at quó perfectius eò minus durat: qualecunque fuerit temperamentum fluit ſemper, ætatum diſcrimina faciens, nec manere poteſt idem propter caloris innati ἀεικινησίαν & ciborum, ſubſtantiæ effluvium reparantium, neceſſitatem; non inde tamen ægrotat homo, quia quod paulatim fit nullam naturæ vim infert; porro ad temperamentum maxime conferunt ſemen, uterus, matris indoles, nutricis mores & affectus.

III.

DIGNOSCENDORUM temperamentorum una non eſt via; tactus, non cujuſlibet indiſcriminatim ſed ſolius hominis temperati, alias certitudine vincit: in digitorum extremis exquiſitus is eſt, qui temperamenti æque ac conformationis ſoboles, conſuetudinis uſu perficitur & roboratur: hoc inſtrumento præcipuas temperamentorum differentias homo ſatis accurate diſcernit, minimas attingere impotens. Altera via eſt non minus princeps, in qua, ratiocinationis ope, rem exequitur, at non ſatis tuto ſi ab uno fonte hauriat; à florido faciei colore aut ſubflavo ſanguinem aut bilem primas tenere, hepar debita beari temperie aut paulo calidius eſſe & ſiccius ſæpe concludit, ab albeſcente pituitam, à nigricante melancholiam dominari; at non ſemper ab his, ut nec à gracili & obœſo, ab hirſuto & glabro corpore, ſine aliorum conſenſu, certam eruet cognitionem. An ergo ex capillis, certe norma eſſet maxime fallax.

IV.

CAPILLORUM materiam ſuppeditat fuliginoſus humor, qui à cutis nutritione reſtat; hic per cæcum iter effluens glutinis in modum ducitur, aeriſque contactu indura-tur; in capillorum figura non ſemel obſervatum eſt foramen etiam ſanguine oppletum, non explodendo longè argumento, eos nutriri, licet venæ & arteriæ eò non pertingant, quo modo radices capillaceæ connutriuntur; illorum copia & paucitas, durities & mollities, nigrities & flavedo, interdum ſtatim ab ortu talis, ex facili quandoque mutatur variante materia; ubi multa appellit ad caput, copia ſequitur capillorum, ubi pauca paucitas; compacta nigritiem, tenuis flavedinem, mollis rectitudinem, dura, per cutis diverticula ſubiens, criſpitudinem facit: An bene rem ſubduceret qui ex fuliginis naturâ temperamentum totius definiret? pulchritudinem, temperamenti laudabilis effectum; quot ſunt qui laudant in muliere flavi capillitij, quot in muliere nigri? ſi capillos nigros, nigroſque oculos ad perfectam formam aliquis nunc exoptat, antiquis aliter viſum, qui Palladi cæſios oculos flavoſque capillos affingunt; quid ſi Speciosus forma præ filiis hominum rufo perhibetur fuiſſe capillitio? quid ſi formoſa virgo Mater, σιτόμορφος appellata fuit? an pulchritudo ſic variare poſſet quæ eximium ſemper ſequitur temperamentum? quid ſi momento quidam cani evaſere quos pridie nigros Romanus caviſſet? an tam cito priſtinum temperamentum deponere datur? certe quantitas, color & figura capillorum, penuriam, copiam & rationem potius fuliginis arguit cutiſque diſpoſitionem quam temperamentum.

V.

NE itaque fidas capillis in exploranda temperie; ficulneum eſt fundamentum & caducum; recenſe omnes temperamentorum differentias novem ad minus adſcribuntur, an totidem in capillis differentias iis reſpondentes reperire eſt? in regionibus quibuſdam pro ingenio ſoli & cœli uniuſmodi habentur capilli, nigritæ nigros, germani ut & omnes fere qui ſeptentrionalem incolunt plagam, flavos obtinent, nec audeas tamen idem illis temperamentum aſſignare: juvenes immatura canitie conſpicuos, ſenum temperiem obtinere merito quis definiret, ut ſenes nigrum ſervantes capillitium eodem ac juvenes frui temperamento; quid dicendum de iis quorum caput varij

coloris & diverſæ formæ coma veſtit : Corporis unum eſt temperamentum, ſi hoc inſigne mendoſum ſequaris, plura conſtitues: quin etiam animantia ejuſdem ſpeciei, licet & indole & temperie ſibi proxima, mirum tamen quantum pilorum colore diſtinguantur ; ab unico ejuſmodi ſigno infida prorſus cognitio; alia plura concurrant neceſſe eſt.

Non ergo ex capillis certum de temperamento judicium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Yvelin.
M. Remundus Vaslet.
M. Gabriel Dacquet.
M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendiſant.
M. Dominicus de Farcy.
M. Tuſſanus Fontaine, Profeſſor Reg. us.
M. Franciſcus Pajot.
M. Claudius le Vaſſeur.

Proponebat Lutetiæ JOANNES-BAPTISTA-RENATUS MOREAU, Pariſinus. A. R. S. H. MDCLXXIV.

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.